

stiana religio. et diuinus cultus. Unde inquit christus. Ecce ego vobiscum sum: usque ad consummationem seculi/ scilicet in hoc precioso sacramento. Postea etiam notare debes quod sic deicit corpus velatum nobis dari. Quid enim valeret fides tua. si christus in propria forma tibi visibilis appareret. Certe coactus eum adorares/ aut quomodo carnales oculi tantam gloriam ferre possent? Quis vero insipiens dicat ut carnem crudam vel hominis cruorem in sua propria forma comedere vel bibere possit? Recedat ergo omnis dubitatio. quia sicut olim diuinitas in utero virginis latuit: et filius dei sub humane carnis velamine: visibilis mundo apparuit/ sic glorificata humanitas diuinitati coniuncta sub forma panis: diuinitati unita latet: ut nobis mortalibus sic apparere possit: ut fides nobis possit.

Cum quali proposito et dispositio debet sacerdos accedere ad tantum sacramentum

Secundo proba te ipsum cum quali proposito et dispositio accedis. discute et reuolue conscientie domum/ et vide ne forte sit intus aliqua turpitudine vel macula in mente vel in carne qua offendi possint oculi eius qui est sanctus sanctorum

Primo ergo rediens introrsus ad iniquitatem tue mentis considera quanta mala ab ineunte etate commisisti: quanta bona neglexeristi: quod breuis vita: quod incerta mors: quod lubrica et piculosa vita huius temporis/ maxima autem pena infernalis. ne forte (quod absit) post precedentem confessionem et penitentiam aliquid sit in te mortale peccatum: vel peccati propositum/ unde mortua sit misera anima tua. ac per hoc a radice christi et ecclesie absisa. quia ille vnicus panis et diuinus cibus non patrat in fluxum vite: nec in nutrimentum absisis membris et mortuis (teste scriptura dicente) In animam malivolam non introibit sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis. Unde a talibus sumitur sacramentum/ et non res sacramenti iesu christi: gratia: et diuinitas caritatis eius. Comeditur gustu/ sed non reficit spiritum. vadit ad ventrem: sed non intrat mentem deglutitur tamquam a bruto: sine sui lesione. et non viuificat animam: nec incorporat eam sibi. neque vnit. sed potius nausea compellente tale ipse christus euomit velut cadauer putritum bestiis et auibus deuorandum

A. ii.